

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvae Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1615

Liber secundus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-466](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-466)

273

L. ANNÆI SENECAE

AD AEBVCIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER SECVNDVS.

B

ARGVMENTVM ET ORDO.



SSVMIT & repetit alterum membrum, Quemadmodum beneficia dan-
da? *Varia dat præcepta: vt Libenter, Citò, Sine dubitatione. Quædam*
Palàm, quædam in secreto. Sed omnia tamen sine superbiâ, aut iactatione.
Deinde, Quæ nocitura, non dare, nec si petant: non item Turpia, & in-
famia futura. Denique Personæ æstimandæ, & qui dat, & qui accipit:
vt decora sint vtrique. Pars altera libri, Ipse Accipiens quomodo se gerat?
A quibus capiat, & Quomodo? *inprimis Grate. Ex occasione, quid faciat ingratos? Su-*
perbia, Avaritia, Inuidia. Pluribus deinde de Gratitude, eamque constare voluntate, vbi
res deficit.

CAPVT PRIMVM.

C



NSPICIAMVS, Liberalis virorum optime, id quod ex ¹ prio-
re parte adhuc superest, Quemadmodum dandum sit benefi-
cium: cuius rei expeditissimam videor monstraturus viam. Sic
demus, quomodo vellemus accipere, ante omnia libenter, citò,
sine vllâ dubitatione. Ingratum est beneficium, quod diu inter
manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est; & sic tam-
quam sibi præiperet. Etiam si quid moræ interuênit, euitemus
omni modo, ne deliberaſſe videamur. Proximus est à negante, qui
dubitauit, nullamque meretur gratiam. Nam cum in beneficio iucundissima sit tri-
buentis voluntas; qui nolentem se tribuisse ipsâ cunctatione testatus est, non dedit, sed
² aduersus ducentem, malè retinuit. Multi autem sunt, quos liberales facit frontis infir-
mitas. Gratissima sunt beneficia, parata, facile ³ occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi
D in accipientis verecundiâ. Primum est, antecedere desiderium cuiusque: proximum
sequi. Illud melius, occupare antequam rogemur: quia cum homini probo ad rogan-
dum ⁴ os concurrat, & suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat mu-
nus suum. ⁵ Non tulit gratis, qui cum rogasset, accepit. Quoniam quidem, vt maiori-
bus

COMMENTARIVS.



AP. I. I. PRIORE PARTE.] *Quam in-*
cohauit, Cap. XI. libri I.

2. ADVERSUS DVCENTEM.] *Ab eo*
qui funem trahit, alio malè renitente.

3. OCCURRENTIA.] *Publiana illâ sententiâ: Bis*
est gratum, quod opus est, vltro si offeras.

4. OS CONCURRAT.] *Alij volunt, corruat: cur*

autem? proprium huic ingenuo vitio verbum est, &
è re sumptum. Qui molli ore sumus, ipsum hoc expe-
rimur, os coire & ægrè diduci. Itaque & Fabius eo
verbo, lib. III. Est alius concursus oris, & cum
verbis suis colluctatio. Seneca epist. XI. Lingua ti-
tubat, labra concurrunt.

5. NON TULIT GRATIS.] *Apuleius: Non enim*
leui

bus nostris, grauissimis viris, visum est, nulla res carius constat, quàm quæ precibus A
empta est. Vota homines parcius facerent, si palàm facienda essent. adeo etiam deos,
quibus honestissimè supplicamus, tacitè malumus & intra nosmetipsos precari.

II. Molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, *Rogo*. Huius fa-
cienda est gratia amico, & cuicumque, quem amicum sis promerendo facturus. Prope-
ret licet: ferò beneficium dedit, qui roganti dedit. Ideò diuinanda cuiusque voluntas,
& cum intellecta est, necessitate grauissimà rogandi liberanda est. Illud beneficium iu-
cundum, victurumque in animo scias, quod obuiam venit. Si non contingit præueni-
re, plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur: sed certiores facti, statim
promittamus, facturosque nos etiam antequam interpellaremur, ipsà festinatione ap-
probemus. Quemadmodum in ægris opportunitas cibi salutaris est, & aqua tempesti-
uè data remedij locum obtinuit: ita quamuis leue & vulgare beneficium sit, si præstò
fuerit, si proximam quamque horam non perdidit, multum sibi adiicit, gratiamque pre-
tiosam, sed leni & diu cogitati muneris vincit. Qui tam paratè fecit, non est dubium, quin B

III. libenter faciat. Itaque lætus facit, & induit sibi animi sui vultum. Ingentia quo-
rumdam beneficia, silentium aut loquendi tarditas, imitata grauitatem & tristitiam,
corrupt, cum promitterent vultu negantium. Quanto melius, adicere bona verba re-
bus bonis, & prædicatione humanà benignaque commendare quæ præstes? ut ille se ca-
stiget, quòd tardior in rogando fuit. Adicias licet familiarem querelam: *Irascor tibi,*
quòd cum aliquid desiderasses, non olim scire me voluisti, quòd tam diligenter rogasti, quòd quem-
quam adhibuisti. Ego verò gratulor mihi, quòd experiri animum meum libuit: postea quidquid
desiderabis, tuo iure exiges. Semel rusticitati tuæ ignoscitur. Sic efficies, ut animum tuum plu-
ris æstimet, quàm illud quidquid est, ad quod petendum venerat. Tunc est summa vir-
tus tribuentis, tunc benignitas, ubi ille qui discessit, dicet sibi: *Magnum hodie lucrum fe-*
ci. malo quòd illum talem inueni, quàm si multiplicatum hoc ad me alià viâ peruenisset. Huic eius
IV. animo numquam parem referam gratiam. At plerique sunt, qui beneficia asperitate C
verborum & supercilio in odium adducunt, eo sermone vsi, eà superbiâ, ut impetrasse
pœniteat. Aliæ deinde post rem promissam sequuntur moræ. nihil autem est acerbius,
quàm ubi⁶ quoque cum impetrasti, rogandum est. Repræsentanda sunt beneficia: quæ
à quibusdam accipere difficilius est, quàm impetrare. Hic rogandus est, ut admoneat;
ille,⁷ utumat. Sic vnum munus per multorum teritur manus, ex quo gratiæ mini-
mum apud promittentem remanet: quia auctori detrahit, quisquis post illum rogan-
dus est. Hæc itaque curæ habebis, si gratè æstimari quæ præstabis voles, ut beneficia tua
illibata, ut integra ad eos, quibus promissa sunt, perueniant,⁸ sine vllâ, quod aiunt, de-
ductione. Nemo illa intercipiat, nemo detineat: nemo in eo quod daturus es, gratiam
V. suam facere potest, ut non tuam minuat. Nihil æquè amarum, quàm diu pendē-
re. Æquiore quidam animo ferunt⁹ præcidi spem suam, quàm trahi. Plerisque autem
hoc vitium est, ambitione prauâ differendi promissa,¹⁰ neminor sit rogantium turba.
Quales regiæ potentiæ ministri sunt, quos delectat superbiæ suæ longum spectaculum:
minusque se iudicant posse, nisi diu multumque singulis, quid possint, ostendent. Nihil D

con-

leui mercede emit, qui precatur: aut paruum pre-
tium accipit, qui rogatur.

CAP. IV. 6. QUOQUE CVM IMPETR.] *A me
est, cum in libris inuenissem, quoque quod impetr.
Sententia vulgò hæret.*

7. VT SUMAT.] *Non displicet, & fit ita apud
magnates: munus ab alio tibi traditur, nec hauris ex
ipso fonte. Ergo Dispensator, aut talis, rogandus ut
pro teumat. Tamen libri ferè veteres, ut consum-
met: quod esset, finem & summam manum muneri
imponat. Sed prius magis aridet.*

8. SINE DEDUCTIONE.] *Ostendit inter formu-
las fuisse. & lego in marmore Hispaniensi: SIGNVM.
PANTHEI. TESTAMENTO. FIERI. PONIQUE.*

EX. ARGENTI. LIBRIS. C. SINE. VLLA. DEDU-
CTIONE. IVSSIT. Iterum: HEREDES. SINE. VL-
LA. DEDUCTIONE. XX. POSVERE. Valet igitur,
ut nihil de summâ detrahatur.

CAP. V. 9. PRÆCIDI SPEM.] *In hoc genus
Martialis:*

Primum est ut præstes, siquid te Cinna rogabo:
Illud deinde sequens, ut citò Cinna neges.
Diligo præstantem, non odi Cinna negantem:
At tu nec præstas, nec citò Cinna negas.

10. NE MINOR SIT.] *Est & causa alia, quam
Plinius Panegyrico tangit: quòd beneficiis suis com-
mendationem ex difficultate captant.*

11. Po-

A confestim, nihil semel faciunt. iniuriæ illorum præcipientes, lenta beneficia sunt. Quare verissimum existima, quod ille Comicus dixit: — *Quid? tu non intelligis,*

Tantum te gratiæ demere, quantum moræ adiciis? Inde illæ voces, quas ingenuus dolor exprimit: *Fac, si quid facis: & Nihil est tanti: Malo mihi iam neges:* ubi in tedium adductus animus incipit beneficium odisse, dum exspectat.¹¹ Potest ob id ingratus esse. Quemadmodum acerbissima crudelitas est, quæ trahit poenam: & misericordiæ genus est,¹² citò occidere (quia tormentum ultimum finem sui secum affert; quod antecedit tempus, maxima venturi supplicij pars est:) ita maior est muneris gratia, quo minùs diu pendit. Est enim bonarum etiam rerum sollicita exspectatio. & cum plurima beneficia remedium alicuius rei afferant; qui aut diutius torqueri patitur, quem protinus potest liberare, aut gaudere tardius, beneficio suo¹³ manus affert. Omnis benignitas properat: & proprium est libenter facientis, citò facere. Qui tardè, & diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempus, & argumentum

B amicæ voluntatis. tardè velle, nolentis est. In omni negotio, Liberalis, non mini- VI.

ma portio est, quomodo quidque aut dicatur, aut fiat. multum celeritas fecit, multum abstulit mora. Sicut in telis eadem ferri vis est: sed infinitum interest, vtrum excusso lacerato torqueantur, an remissâ manu effluant. gladius idem & stringit, & transforat: quàm¹⁴ pressio articulo venerit, refert: idem est quod datur, sed interest quomodo datur. Quàm dulce, quàm pretiosum est, si gratias sibi agi non est passus, qui dedit: si dedisse. dum dat, oblitus est! nam corripere eum, cui cum maximè aliquid præstes, dementia est, & inferere contumeliam meritis. Itaque non sunt exasperanda beneficia, nec quidquam illis triste miscendum. Etiam si quid erit, de quo velis admonere, aliud tempus eligito. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum, *Pa-* VII.

*nem*¹⁵ *lapidosum* vocabat; quem esurienti accipere necessarium sit, esse acerbum. Tiberius Cæsar rogatus¹⁶ à nepote¹⁷ M. Allio prætorio, vt æri alieno succurreret: edere illum sibi nomina creditorum iussit. Hoc non est donare, sed creditores conuocare. Cum Credita essent, scripsit,¹⁸ *nepoti iussisse se pecuniam solui.* adiectâ contumeliosâ admonitione, effecit, vt nec æs alienum haberet, nec beneficium. Liberavit illum à creditoribus, sibi non obligauit. Aliquid Tiberius secutus est. puto noluit plures esse, qui idem rogaturi concurrerent. ista fortasse efficax ratio fuerit, ad hominem improbas cupiditates pudore reprimendas: beneficium verò danti, tota alia sequenda est via. ¹⁹Omni ge- VIII,

nere

II. POTEST OB ID.] *A Mureto ea lectio, siue potius Erasmo. At mei, gratus, non ingratus statim habent. Distinctione iuuanda & elicienda sententia est, ista: Malo mihi iam neges. Vbi in tæd. ad. animus, inc. b. o. dum exspectat: potest ob id gratus esse? An, inquit, gratus animus ob id beneficium esse potest, quod mora in odium traxit?*

12. CITO OCCIDERE.] *Tyranni sciebant, vt Tiberius cuidam precanti penæ maturitatem, Nondum, inquit, tecum in gratiam redij. Et Caius Caligula, non temerè in quemquam, nisi crebris & minutis ictibus animaduerti passus est, perpetuo notoque iam præcepto: Ita feri, vt sentiat se mori. Virumque in Suetonio. Adde Lucani:*

— moremque nefandæ
Dirum sæuitiæ pereuntis parcere morti.

13. MANVS AFFERT.] *Intellige, occidit, perdit. Notum, quid sit manus sibi afferre: atque inde, huc translatum.*

CAP. VI. 14. PRESSO ARTICULO.] *Manu forti, & adaectâ. Contra est, molli articulo. Fabius lib. II. Gladiatorem vehementis impetus, excipit aduersarij mollis articulus. Nec dissimile, quod in Cicerone: Molli brachio, & Leui,*

quæ omnia à re militari aut gladiatoria.

CAP. VII. 15. LAPIDOSVM.] *Is est, qui in lapidem duratus.*

16. A NEPOTE.] *Putarim maiusculâ litterâ insigniendum, Nepote: & cognomen fuisse huius viri.*

17. M. ALLIO.] *Meus liber opt. Aleo: in alijs Ælio. Ceterum ipse Tacito, aut Suetonio, non nominatur: res tangitur in plures Senatorum. Illi his verbis: Propertio Celeri decies HS. largitus est, tentantes eadem, probare causam Senatui iussit: cupidine feueritatis, in his etiam quæ rectè faceret, acerbis. Vnde ceteri silentium & paupertatem, confessioni & beneficio præposuere. At Suetonio, istis: Paucorum Senatorum inopiâ sustentatâ, ne pluribus opem ferret, negauit se subuenturum, nisi Senatui iustas necessitatum causas probassent.*

18. NEPOTI.] *Iterum maiusculâ, & in eo scōma. Videbatur nomen edere, & vitium exprobrauit. Nepotes, δῆτοροι: luxuriosæ vitæ homines (ait Festus) quod non magis his rei suæ familiaris cura est, quàm iis quibus pater auusque viuunt.*

CAP. VIII. 19. OMNI GENERE.] *Valet, omni modo, & ratione. It' crebriusculè, & noster mox cap. X.*

20. RE-

- nere quod des, quo sit acceptius, adornandum est. Hoc verò non est beneficium dare, A
²⁰ reprehendere est. Et ut in transitu de hac quoque parte dicam quid sentiam, ne Prin-
 cipi quidem satis decorum est, donare ignominiae causam. Tametsi inquietudinem Ti-
 berius, nec hoc quidem modo, quo putabat, potuit effugere. Nam aliquot postea, qui
 idem rogarent, inuenti sunt. omnes iussit reddere in senatu æris alieni causas, & ita illis
 certas summas dedit. Non est illud liberalitas: censura est, ²¹ auxilium est, Principale
 tributum est. Beneficium non est, cuius sine rubore meminisse non possum. Ad iudi-
 IX. cem missus sum. ut impetrarem, causam dixi. Præcipiunt itaque omnes auctores
 sapientiae, quædam beneficia palam danda, quædam secreto. Palam, quæ consequi glo-
 riosum est: ut militaria dona, & honores, & quidquid aliud notitiam pulchrius sit. Rur-
 sus quæ non ²² producunt, nec honestiorem faciunt, sed occurrunt infirmitati, egestati,
 ignominiae, tacite danda sunt: ut nota sint solis, quibus profunt. Interdum & ipse qui
 X. iuuatur, fallendus est: ut habeat, nec à quo acceperit, sciat. ²³ Arcesilaus, ut aiunt,
²⁴ amico pauperi, & paupertatem suam dissimulanti, egro autem, & ne hoc quidem con- B
 fitenti deesse sibi in sumptum ad necessarios usus, cum clam succurrendum iudicasset,
 puluino eius ignorantis sacculum subiecit, ut homo ²⁵ inutiliter verecundus, quod de-
 siderabat, inueniret potius quam acciperet. Quid ergo? ille nesciet à quo acceperit? Pri-
 mum nesciat, si hoc ipsum beneficii pars est. deinde multa alia faciam, multa tribuam,
 per quæ intelligat & illius auctorem. Denique ille nesciet accepisse se: ego sciam me de-
 disse. Parum est, inquis. Parum, si fænerare cogitas: sed si dare ²⁶ quo genere accipienti
 maximè profuturum erit; dabis. contentus eris te teste. Alioquin non benefacere dele-
 ctat, sed videri benefecisse. Volo, inquis, sciat: debitorem quæris. Volo utique sciat:
 quid, si illi utilius est nescire? si honestius, si gratius? non in aliam partem abibis? Volo
 sciat: ita tu hominem non seruabis in tenebris? Non nego, quoties patitur res, percipien-
 dum gaudium ex accipientis voluntate: sin adiuuari illum & oportet, & pudet; si quod
 præstamus, offendit, nisi absconditur: beneficium ²⁷ in acta non mitto. Quid? ego illi
 sum indicaturus me dedisse: cum inter prima præcepta ac maximè necessaria sit, ne vim- C
 quam ²⁸ exprobrem, imò ne admoneam quidem? Hæc enim beneficii inter duos lex est.
 alter statim obliuisci debet dati, alter accepti numquam. Lacerat animum & premit fre-
 XI. quens meritorum commemoratio. Libet exclamare, ²⁹ quod ille triumvirali pro-
 scriptione seruatus à quodam Cæsaris amico exclamauit, cum superbiam eius ferre non
 posset: *Redde me Cæsari*. Quousque dices: *Ego te seruauit, ego te eripui morti?* istud, si meo
 arbitrio memini, vita est; si tuo, mors est. Nihil tibi debeo, si me seruasti, ut haberes,
 quem ostenderes. Quousque me circumducis? quousque obliuisci fortunæ meæ non
 finis?

20. REPREHENDERE.] *Assentior Pin-
 ciano legenti, deprehendere: detegere vitia laten-
 tia & efferre.*

21. AUXILIUM EST.] *Grutero nostro visum,
 cum negatione immisâ legere: Non est illud libe-
 ralitas, censura est; non auxilium est, principale
 tributum est. ut ambituta ista haud indecore con-
 currant. Tributum autem Principale, quia velut ab
 inuito tribuitur in aliorum necessitates.*

CAP. IX. 22. PRODUCUNT.] *Prouehunt,
 attollunt. Inde Producta Stoicorum.*

CAP. X. 23. ARCESILAVS.] *Crantoris disci-
 pulus, qui & mediæ Academiæ auctor fuit.*

24. AMICO PAUPERI.] *Ctesibium nominat
 Laërtius: & dictum addit, cum pecunia inuenta
 esset, Ἀρκεσίλαου τὸ πάλαιον: Arcesilai hic lu-
 dus. At Plutarchus in libello, Quomodo Adula-
 tor ab Amico noscendus: disertè Apelli Chio
 hoc tribuit: & cetera consonat, nisi quod dictum ef-
 fert, Ἀρκεσίλαου τούτῃ τὸ κλέμμα: Arcesilai hoc
 furtum.*

25. INUTILITER VERECUNDVS.] *Homericum
 est: Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴν κερκιδύω ἀνδρὶ ἀποτρύν-
 Nec pudor utilis est, homini qui pauperi ad-
 hæret.*

26. QVO GENERE.] *Quo modo. ut supra
 cap. VIII.*

27. IN ACTA.] *Id est, non publico, non posteri-
 tati trado. Acta confici solent rerum memorabilium
 vel in populo, vel Senatu atque ea per certos huius cu-
 ra homines describi: tum publicari. Itaque prouerbij
 speciem dictum, In acta mittere: & plura ego ad An-
 nalem IV. Taciti.*

28. EXPROBREM.] *Tullij idem monitum, in Le-
 lio: Odiosum est genus hominum, officia expro-
 brantium. quæ meminisse debet is, in quem col-
 lata sunt; non commemorare, qui contulit. Sanè
 ea res odium gignit, & maximè apud Principes. Ta-
 citus IV. Hist. Neque deerat ipse arrogantiam voca-
 re offensas, nimius commemorandis quæ me-
 ruiisset.*

CAP. XI. 29. QVOD ILLE.] *Quis, ignoro:
 sed plures sic seruati.*

30. REPE-

A finis? semel in triumpho ductus essem. Non est dicendum, quid tribuerimus. qui admonet, ³⁰ repetit. Non est instandum, non est ³¹ memoriae reuocandum: nisi ut aliud dando, prioris adimoneas. Ne aliis quidem narrare debemus. qui dedit beneficium, taceat: narret, qui accepit. Dicitur enim, quod illi ubique iactanti beneficium suum: Num negabis, inquit, te receperisse? & cum respondisset, Quando? ³² Sæpe quidem, inquit, & multis locis: id est, quoties & ubicumque narraſti. ³³ Quid opus est te loqui? quid alienum occupare officium? Est qui istud facere honestius possit: quo narrante, & hoc laudabitur, quod ipse non narras. Ingratum me iudicas, si istud te tacente, nemo sciturus est? Quod adeo non est committendum, ut etiam si quis coram nobis narrabit, ei respondendum sit: Dignissimus quidem ille est maioribus beneficiis, quæ ego magis velle me scio præstare, quam posse. Et hæc ipsa non ³⁴ verniliter, nec eâ figurâ, quâ quidam reiiciunt, quæ magis ad se volunt attrahere: deinde adiicienda omnis humanitas. Perdet agricola quod sparsit, si labores suos destituet in semine. Multâ curâ fata perducuntur ad segetem. nihil in fructum peruenit, quod non à primo vsque ad extremum æqualis cultura profequitur: eadem beneficiorum est condicio. Numquid vlla maiora possunt esse, quam quæ in liberos patres conferunt? ³⁵ Nec tamen tuta sunt, si in infantiam deferantur, nisi longa pietas munus suum nutriet. Eadem ceterorum beneficiorum condicio est: nisi illa adiuueris, perdes. parum est dedisse, fouenda sunt. Si gratos vis habere quos obligas, non tantum des oportet beneficia, sed ames. Præcipue, ut dixi, parcamus auribus. admonitio tedium facit, exprobratio odium. Nihil æquè in beneficio dando vitandum est, quam superbia. Quid opus arrogantiam vultus? quid tumore verborum? ipsa res te extollit. Detrahenda est inanis iactatio: res loquentur, nobis tacentibus. Non tantum ingratum, sed iniustum est beneficium, superbè datum. ³⁶ Cæsar dedit vitam ³⁷ Pompeio Pen- XII. no, si dat, qui non aufert: deinde absoluto & agenti gratias, porrexit osculandum sinistrum pedem. Qui excusant, & negant id insolentiae causâ factum: aiunt ³⁸ focculum auratum, imò aureum margaritis distinctum, ostendere eum voluisse. Ita prorsus: quid hic contumeliosum est, si vir consularis aurum & margaritas osculatus est; & alioquin ³⁹ nullam partem in corpore eius electurus, quam purius oscularetur? Homo natus in hoc, ut mores liberæ ciuitatis ⁴⁰ Persicâ seruitute mutaret, parum iudicauit, si senator senex, ⁴¹ summis vsus honoribus, ⁴² in conspectu principum supplex sibi, eo more iacuiſſet,

30. REPETIT.] Totidem panè verbis ante eum Publius: Beneficium dedisse qui dicit, petit.

31. MEMORIÆ REVOCANDVM.] Alij libri, memoria reuocanda: at meus, renouanda. quod probem.

32. SÆPE QVIDEM.] Acutum responsum. fructum beneficij percepisti in tuâ iactantiâ. Non est opus me dependere, tu tibi à te soluisti.

33. QUID OPVS TE LOQVI?] Non opus. & argute in istos Martialis:

D Quæ mihi præstiteris memini, semperque tenebo.

Cur igitur taceo Postume? tu loqueris.

Non bellè faciunt quædam duo. sufficit vnus

Huic operi: si vis ut loquar, ipse tace.

34. VERNILITER.] Blandè & cum adulatione, sine animi tui sensu. Vox à Vernis, id est seruulis, qui ferè blandiuntur. Inde Vernilis, ωολιτινός, in Glossis præcis: ωολιτινός, autem iisdem, Ciuilis, Urbanus. Vernilitas eodem sensu in Senecâ, epist. xciv. In Taciti II. Hist. Vbi nostri libri de Vitellio, Quamuis odium humilibus blanditiis velaret: video Robertum Stephanum legisse, vernilibus blanditiis. Apud profecto, si è membranæ.

35. NEC TAMEN TVTA.] Pincianus iubet, & parent alij, Hæc tamen irrita. Ego nihil mutem.

CAP. XII. 36. CÆSAR.] Omnino litterula addenda, C. Cæsar: Caligulam notat.

37. POMPEIO PENNO.] Cetera mihi ignota. an tamen idem, qui postea fame ab eo mori coactus, homo opulens & locuples, supra plerosque sui æui? de quo Seneca idem, de Tranquill. cap. xi.

38. SOCCVLVM AVRATVM.] Plinius xxxvii. cap. ii. Tolerabiliorem tamen fecit (Pompeius Magnus) caussam Caij Principis, qui, super omnia muliebria, focculos induebat è margaritis. Quidni igitur & auratos?

39. NULLAM PARTEM.] Significat superum inferumq; impurum fuisse.

40. PERSICA SERVITVTE.] Quia Persæ valde obnoxij suis regibus. & inde Cicero: Regnum non modo Romano homini, sed nec Persæ quidem cuiquam tolerabile. Et verò in hac ipsâ re certum, Persas regibus suis manus pedesque osculatos: & humi stratos seruiliter adorasse.

41. SUMMIS VS. HON.] Ita Pincianus & Marretus, ex coniecturâ. Mihi placebat, summis honoribus, absolute dictum. At ecce apud me duo libri, summis clarè præferunt: an non seruandum, & Comico illo more, dictum, ut ipsissimus?

42. IN CONSPECTV PRINCIPVM.] Accipio, procerum

cuiisset, quo victi hostes victoribus iacere: inuenit aliquid infra genua, quò libertatem detruderet. Non hoc est remp. calcare? ⁴³ & quidem, dicet aliquis (nam potest ad rem pertinere) sinistro pede. Parum enim fœdè furioseque insolentis fuerat, qui de capite consularis viri ⁴⁴ foccatus audiebat, nisi in os senatoris ingessisset imperator ⁴⁵ pigros suos. **XIII.** O superbia magnæ fortunæ! O stultissimum malum! ut à te nihil accipere iuuat? ut omne beneficium in iniuriam conuertis? ut te omnia nimia delectant? ut te omnia dedecent? quoque altius te subleuasti, hoc depressior es, ostendisque ⁴⁶ te non agnoscere ista bona, quibus tantum inflaris. Quidquid das, corrumpis. Libet itaque interrogare, quid tantopere te ⁴⁷ supinet, quid vultum habitumque oris peruertat, ut malis habere ⁴⁸ personam, quàm faciem? Lucunda sunt, quæ humanâ fronte, certè leni, placidaque tribuuntur: quæ cum daret mihi superior, non exultauit supra me, sed quàm potuit, benignissimus fuit, descenditque ⁴⁹ in æquum, & detraxit muneri suo pompam. obseruauit idoneum tempus, ut in occasione potius, quàm in necessitate succurreret. Vno modo istis persuadebimus, ne beneficia sua insolentiâ perdant, si ostenderimus **B** non idèò videri maiora, quò tumultuosius data sunt: ne ipsos quidem ob id cuiquam posse maiores videri. vanam esse superbiam magnitudinem, & quæ in odium etiam amanda perducatur. **XIV.** Sunt ⁵⁰ quædam nocitura impetrantibus: quæ non dare, sed negare, beneficium est. Æstimabimus itaque vtilitatem potius, quàm voluntatem petentium. Sæpè enim noxia concupiscimus, nec dispicere quàm perniciofa sint licet: quia iudicium interpellat affectus. sed cum subsedit cupiditas, cum impetus ille flagrantis animi, qui consilium fugat, cecidit; detestamur perniciosos malorum munerum auctores. Ut frigidam ægris negamus, & lugentibus ac sibi iratis ferrum, aut amantibus quidquid contra se vsurus ardor petit: sic ea, quæ nocitura sunt impensè ac submissè, nonnumquam etiam miserabiliter rogantibus, perseuerabimus non dare. Tum initia beneficiorum suorum spectare, tum etiam exitus decet: & ea dare quæ non tantum accipere, sed etiam accepisse delectet. Multi sunt qui dicant: Scio hoc illi non profuturum. sed **C** quid faciam? rogat, resistere precibus eius non possum. Viderit. de se, non de me, queretur. Falsum est: imò de te, & merito quidem: cum ad mentem bonam redierit, cum ⁵¹ accessio illa quæ animum inflammabat, se remiserit. Quid ni cum oderit, à quo in damnum ac periculum suum adiutus est: Exorari in perniciem rogantium, sæuâ bonitas est. Quemadmodum pulcherrimum opus est, ⁵² etiam inuitos nolentesque seruare: ita rogantibus pestifera largiri, blandum & affabile odium est. Beneficium demus, quod vsu magis

rum & populi primorum, id est Senatorum: & aliquoties ita Seneca. At Gruerius malit, in conspectu p. r. id esset, populi Romani.

43. ET QUIDEM.] Ista à Mureto, & hominis causa tenui: sed credo mea, puro iudicio, meliora: & quidem (licet aliquis non putet ad rem pertinere) sinistro pede? Nam in eo argutatur. non solum pedem præbuit, quod turpe, basiandum; sed quod turpius indigniusque, sinistrum. At quod hic est R. P. possis etiam, Rom. populum explicare.

44. SOCCATVS.] Insolens hoc Romanis. & Cicero Verri grauitè obiecit, quod soleatus in publico stetit. Nam domi dumtaxat solea: in publico, & certè cum iudicia obibant, calceati togatique erant. Fœdius autem Caius, qui in muliebri etiam socco hæc patrabat.

45. PIGROS SVOS.] Sententiam video, verbum sine exemplo est: videturque ita pedes, aut sordes circa pedes, notare. Io. Meursius, vir doctus, epigros vellet, & clauos interpretari, qui calcens suppositi vel impacti. In Augustino ea vox, Lignum ligno per subscudes, epigros, clauos, & gluten bituminis, non potest adhærere. Sed & Isidoro, x. i. x. Epigri & cla-

ui sunt, quibus lignum ligno adhæret. Pincianus autem, pictos foccos: Libri non mutant, nisi quod unus meus pigtos.

CAP. XIII. 46. TE NON AGNOSCERE.] Libri scripti, tibi non: & quidam, adagnoscere. Suspecta mihi: sed tantum.

47. SUPINET.] Alij resupinet, nec malè. Habitus autem ille superbiorum, caput attollere, pectus proiicere: quod est, se se supinare, καὶ ὑπερθεῖν.

48. PERSONAM.] Histrioniam, & alienam.

49. IN ÆQVVM.] Ex alto descendit, se submisit, & velut parem gessit.

CAP. XIV. 50. QVÆDAM NOCITVRA.] Tacitus x. v. Annal. Plura sæpè peccantur, dum demeremur, quàm dum offendimus.

51. ACCESSIO.] Alij libri, accensio. Illud teneo, & est inuasio morbi & παρὰ νοσίου. A febribus ductum.

52. ETIAM INUITOS.] Negat Horatius: Inuitum qui seruat, idem facit occidenti: sed in re aliâ. nempe iis, qui mori consilio & decreto volunt (prisco illo more) nec sunt interpellandi.

53. A TV-

gis ac magis placeat, quod numquam in malum vertat. Pecuniam non dabo, quam numeraturum adulteræ sciam: ne in societate turpis facti aut consilij inueniar. Si potero, reuocabo: sin minus, non adiuuabo scelus. Siue illum ira, quò non debebat, impellit, siue ambitionis calor abducit ⁵³ à tutis: non committam, ut possit quandoque dicere, *Ille amando me occidit*. Sæpè nihil interest inter amicorum munera, & ⁵⁴ hostium vota. Quidquid illi accidere optant; in id horum intempestiua indulgentia impellit, atque instruit. Quid autem turpius, quàm (quod euenit frequentissimè) ut nihil intersit inter odium, & beneficium? Numquam, in turpitudinem nostram reditura, tri- XV. buamus. Cum summa amicitia sit, amicum sibi æquare; utrique simul consulendum est. Dabo egenti: sed ut ipse non egeam. succurram perituro: sed ut ipse non peream. nisi si futurus ero magni hominis, aut ⁵⁵ magnæ rei merces. Nullum beneficium dabo, quod turpiter peterem. Nec exiguum dilatabo, nec magna pro paruis accipi patiar. Nam ut qui quod dedit, ⁵⁶ imputat, gratiam destruit: ita qui quantum det, ostendit, ⁵⁷ munus suum commendat, non exprobrat. Respiciendæ sunt cuique facultates suæ, vires- XVI. que: ne aut plus præstemus, quàm possumus, aut minus: Æstimanda est eius persona, cui damus. quædam enim minora sunt, quàm ut exire à magnis viris debeant: quædam accipiente minora sunt. Vtriusque itaque personam confer: & id ipsum, inter illas, quod donabis, examina, numquid aut danti graue sit, aut paucum: numquid rursus qui accepturus est, aut fastidiat, aut non capiat. Urbem cuidam Alexander donabat XVII. ⁵⁸ væsanus, & qui nihil animo non grande conciperet. cum ille cui donabatur, seipse mensus, tanti muneris inuidiam refugisset, dicens non conuenire fortunæ suæ: *Non quero, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare*. Animosa vox videtur, & regia: cum sit stultissima. Nihil enim per se quemquam decet: refert quid, cui, quando, quare, ubi, & cetera, sine quibus facti ratio non constabit. Tumidissimum animal! si illum accipere hoc non decet, nec te dare. Habeatur personarum ac dignitatum proportio: & cum sit vbique virtutis modus, æquè peccat quod excedit, quàm quod deficit. Liceat istud XVIII. C sanè tibi, & te in tantum fortuna sustulerit, ut ⁵⁹ congiaria tua vrbes sint: quas quanto maioris animi fuit non capere, quàm ⁶⁰ spargere? est tamen aliquis minor, quàm ut ⁶¹ in sinu eius condenda sit ciuitas. ⁶² Ab Antigono Cynicus petiit talentum. respon- XIX. dit, plus esse, quàm quod Cynicus petere deberet. Repulsus petit denarium. respondit, minus esse, quàm quod regem deceret dare. Turpissima est eiusmodi cauillatio. Inuenit quomodo neutrum daret. in denario regem, in talento Cynicum respexit: cum posset & denarium tamquam Cynico dare, & talentum tamquam rex. Ut sit aliquid maius, quàm quod Cynicus accipiat; nihil tam exiguum est, quod non honestè regis humani- tas

53. A TUTIS.] *Placet. nam in præceps, certè anceps, ambitio impellit. At libri aliter: & est in meis, abducit acutis, non à semetipso vires inferri patiar, nec committam. Alij porrò: acutis. Si nullum D malum vires à semetipsa patiar, nec committam. Quid hinc est? vlcus, aut vlcera: neque ego nunc Machaon.*

54. HOSTIUM VOTA.] *Euripides:*

Ἀκαίερος εὐνοίᾳ δὲ ἐν ἔχθρῳ διαφέρει:

Volentia importuna, ab odio haud diffidet.

CAP. XV. 55. MAGNÆ REI MERCES.] *Vel perire paratus sum, si impendo me in rem hominemq; magnum, vnius exitio redimendum.*

56. IMPUTAT.] *Inscribit, & in rationibus expensiponit.*

57. MVNVS SVVM COMMENDAT.] *Ita negatione eiectâ, & mox positâ legendum, sensu liquido.*

CAP. XVI. 58. VÆSANVS.] *Nusquam noster pronus in hunc regem: quem reuera vulgus & fortuna magis, quàm prudentes & ratio attollunt.*

59. CONGIARIA.] *Scripti aliquot, congia: sed eodem cadit, atque illud receptius. Pro quouis munere accipiunt. ut noster Consol. ad Marciam, cap. XXII. Seianus patrem tuum clienti suo congiarium dedit: crebrius tamen, sunt Principum dona publicè, in plebem.*

60. SPARGERE.] *Effusè dilargiri. & allusum ad fortuitas in theatris sparsiones.*

61. IN SINU.] *Ad easdem sparsiones referam. nam sinu tesseræ & munuscula excipiebant. Condenda autem, ambiguit: siue ut adifices, siue ut reponas & occultes.*

CAP. XVII. 62. AB ANTIGONO.] *In Plutarchi Apophthegmatis ita: Θερόλλου τῆς Κυνικοῦ δεξιμὴν αἰτήσαντος αὐτὸν, Ἀλλ' ἔ βασιλικὸν, ἔφη, τὸ δόμα. τῆς δὲ εἰπόντος, Οὐκοῦν τέλειαντον δὲς μοι, Ἀλλ' ἔ κυνικὸν, ἔφη, τὸ λῆμμα: Thrasylo Cynico drachmam ab eo petente, Regium non est, inquit, hoc dare. Illo igitur subiciente, Da talentum: Non est Cynicum, inquit, accipere. Quæ Gracè magis bellè cadunt.*

* tas tribuat. ⁶³ * Si me interrogas, probo. est enim intolerabilis res, poscere nummos, & A
contemnere. ⁶⁴ Indixisti pecuniæ odium: hoc professus es. hanc personam induisti:
agenda est. Iniquissimum est, te pecuniam sub gloriâ egestatis acquirere. Aspicienda
ergo non minùs sua cuique persona est, quàm eius, de quo iuuando quis cogitat. Volo
Chrysippi nostri vti similitudine ⁶⁵ de pilæ lusu: quam cadere non est dubium, aut mit-
tentis ⁶⁶ vitio, aut accipientis. Tunc cursum suum seruat, vbi inter manus vtriusque, ap-
tè ab utroque & iactata & excepta versatur. necesse est autem lusor bonus, aliter illam
collusori longo, aliter breui mittat. Eadem beneficij ratio est. nisi vtrique personæ, dan-
tis & accipientis, aptatur: nec ab hoc exhibit, nec ad illum perueniet, vt debet. Si cum
exercitato & docto negotium est, audaciùs pilam mittemus. vtrumque enim venerit,
manus illam expedita & agilis repercutiet. Si cum tirone & indocto: non tam rigidè, nec
tam excusè, sed languidiùs, & in ipsam eius dirigentes manum, remisè occurremus.
Idem faciendum est in beneficiis. quosdam ⁶⁷ doceamus, & satis iudicemus, ⁶⁸ si conan-
tur, si audent, si volunt. Facimus autem plerumque ingratos, & vt sint, fauimus: tam B
quam ita demum magna sint beneficia nostra, si gratia illis referri non potuit: vt mali-
gnis lusoribus propositum est, collusorem ⁶⁹ traducere, cum damno scilicet ipsius lusus,
qui non potest, nisi consentitur, extendi. Multi sunt tam prauæ naturæ, vt malint per-
dere quæ præstiterunt, quàm videri recepisse, superbi & imputatores. Quanto melius,
quantoque humanius id agere, vt illi quoque partes suæ constent, & fauere; vt gratia si-
bi referri possit, benignè omnia interpretari; gratias agentem, non aliter quàm si referat,
audire; præbere se facilem, ad hoc, vt quem obligauit, etiam exsolui velit? Malè audire
solet fenerator, si acerbè exigit: æquè si in recipiendo tardus ac difficilis moras quærit:
beneficium tam recipiendum est, quàm non exigendum. Optimus ille, qui dedit faci-
lè, numquam exegit: reddi gauisus est, bonâ fide quid præstitisset, oblitus, qui accipien-
tis animo recepit. Quidam non tantum dant beneficium superbè, sed etiam acci-
piunt: quod non est committendum. Iam enim transeamus ⁷⁰ ad alteram partem, tra-
ctaturi quomodo se gerere homines in accipiendis beneficiis debeant. Quodcumque ex C
duobus constat officium, tantumdem ab utroque exigit. Qualis pater esse debeat, cum
inspexeris; scies non minus operis illic superesse, vt dispicias, qualem esse oporteat filium.
sunt aliquæ partes mariti, sed non minores vxoris. Inuicem ista quantum exigunt, præ-
stant, & parem desiderant regulam: quæ, vt ait Hecaton, difficilis est. Omne enim ho-
nestum in arduo est, etiam quod vicinum honesto est. non enim tantum fieri debet, sed
ratione fieri. Hac duce, per totam ⁷¹ viam eundum est. minima maximaque ex huius
consilio gerenda sunt: quomodo hæc suaserit, dandum. Hæc autem hoc primum cen-
sebit, non ab omnibus accipiendum. A quibus ergo accipiemus? Vt breuiter tibi re-
spondeam: ab his, quibus dedisse ⁷² vellemus. ⁷³ Num etiam maiore dilectu quæren-
tus

63. * SI ME.] Videtur aliqua dissertatiuncula
fuisse (quæ perijt) super hoc facto. Subijcit nunc, Si
me quoque interrogas, sum inter probantes.

64. INDIXISTI.] Ad Cynicos propriè, non
ad omnes Philosophos. De istis autem aruscatoribus,
& poscinummiis, pulchrè Herodes apud Agell. lib. IX.
cap. II. & Lucianus plurifariam.

65. DE PILÆ LVSU.] Qua placuit & Plutar-
cho, libello de Socratis demonio: etsi Chrysippo non
inscripsi. Η χάρεις, inquit, & χήτων δεομένη τῆ λαμ-
βάνοντος, ἢ τῆ διδόντος, ἐξ ἀμφοῖν τελειοῦται πρὸς τὸ
καλόν. ὁ δὲ μὴ δεξάμενος, ὥσπερ σφαίραν εὐφραμέ-
νην, κατήχυνεν ἀτελῆ πεποῦσαν: Beneficium non
minùs desiderat accipientem, quàm dantem, &
ex vtriusque perficitur, honestumque tangit. Qui
autem non excipit, sicut pilam rectè delatam &
directam, dehonestat beneficium, cadens, & fi-
nem suum non assecutum.

66. VITIO.] Probum est. tamen libri, studio,
aut dubio.

67. DOCEAMVS.] Capere beneficia.

68. SI CONANTVR.] Grati esse, benè excipere.

69. TRADVCERE.] Ludibrio exponere.

CAP. XVIII. 70. AD ALTERAM.] Antea
aliam. ego hoc recepi è meis. quia hæc reuera secunda
pars: & hætenus peregit, quod è priore supererat.

71. VIAM.] Hanc beneficiorum viam. Tamen li-
bri, vitam: nimis etiam verè: ac Ratio dux & domi-
na esse debet totius vitæ.

72. VELLE MVVS.] A diuinatione Mureti merà
est. nam libri omnes, videamur. quod conuenire
H. Stephano videbatur, non mihi: & vellem ex eo,
voueamus, vel, gaudeamus.

73. NVM ETIAM.] Ita scripsi, & interrogando
acui, præcuntibus meis libris. Alij, Nam etiam: quod
reijciunt sequentia, quibus huic interrogationi re-
spondetur.

74. POST

A dus est, cui debeamus, quàm cui præstemus? nam, ut non sequantur vlla incommoda (sequuntur autem plurima) graue tamen tormentum est debere, cui nolis. Contra, iucundissimum est ab eo accepisse beneficium, quem amare etiam ⁷⁴ post iniuriam ⁷⁵ possis. Illud verò homini verecundo & probò miserrimum est, si eum amare oportet, quem non iuuat. ⁷⁶ Toties admoneam necesse est, non loqui me de sapientibus, quos quidquid oportet, & iuuat; qui animum in potestate habent, & ⁷⁷ legem sibi, quam volunt, dicunt, & quam dixerunt, seruant: sed de imperfectis hominibus, honesta sequi volentibus, quorum affectus sæpè ⁷⁸ contumaciter parent. Itaque eligendus est, à quo beneficium accipiam. Et quidem diligentius quærendus beneficij, quàm pecuniæ creditor. Huic enim reddendum est, quantum accepi: & si reddidi, solutus sum ac liber. at illi plus soluendum est: & nihilominus etiam relatâ gratiâ, ⁷⁹ cohæremus. Debeo enim, cum reddidi, rursus incipere: ⁸⁰ * monetque amicitia non recipere indignum. Sic est beneficiorum quidem sacratissimum ius, ex quo amicitia oritur. Non semper, inquit, mihi licet dicere, Nolo: aliquando beneficium accipiendum est & ⁸¹ inuito. Dat tyrannus crudelis & iracundus: qui munus suum fastidire te, iniuriam iudicaturus est. non accipiam? Eodem loco pone latronem & piratam, quo regem, animum latronis ac piratæ habentem. quid faciam? parùm dignus est, cui debeam. Cum eligendum dico cui debeas, ⁸² vim maiorem & metum excipio: quibus adhibitis, electio perit. Si liberum est tibi, si arbitrij tui est, utrùm velis, an non; id apud te ipse perpendes. si necessitas tollit arbitrium; scies te non accipere, sed parère. Nemo id accipiendo obligatur, quod illi repudiare non licuit. Si vis scire, an velim; effice, ut possim nolle. Vitam tamen tibi dedit. non refert quid sit, quod datur, nisi à volente volenti detur. Si seruasti me, non ideo seruator es. Venenum aliquando pro remedio fuit. non ideo numeratur inter salubria. Quædam profunt, nec obligant. ⁸³ Tuber quidam tyranni gladio diuisit, qui ad eum occidendum venerat: non ideo illi tyrannus gratias egit, quod rem quam medicorum

C ⁷⁴ POST INIURIAM.] Nam bonus bonum, etiam lesus ab eo, amat.

⁷⁵ POSSIS.] Ab hoc verbo, in scriptis meis ista inferuntur: ubi amicitiam alicui iucundam eam fecit & iustam. Quæ sanè haud abijcienda, nec insuper habenda sunt: imò à me concinnanda. ubi amicitiam, alioqui iucundam, iam fecit & iustam. Acutè. suauè à viro bono accipere, quem ames vel acceptâ iniuriâ: nunc magis, ubi amicitiam antè iucundam tantum, & sine beneficij vinculo, nunc cum te obligauit, fecit & iustam. Porro & Pincianus & Gruterus hæc in suis repperunt: nisi quod in quibusdam pro, eam, scriptum habent causa: item probè. Causa fecit iustam, nempe beneficium.

⁷⁶ TOTIES.] Vbi vel semel antè, ô Seneca? non in his libris: aut partes eæ (quod potest) desunt. Sed ^D verius, alibi monitum esse: & hoc discrimen Sapientum inculcatum. Quod sequitur, Quidquid oportet explicatur à me, in epist. CIV.

⁷⁷ LEGEM.] Vita, & actionum. qui Decreta sua firma & immota habent.

⁷⁸ CONTUMACITER.] Parent quidem, sed rebelles. obluantur & repugnant.

⁷⁹ COHÆREMVS.] Solutione factâ, non solui-mur: quia manet animi & voluntatis illud vinculum, quod beneficio interuenit.

⁸⁰ * MONETQUE.] Mureto locus vitiatu videtur: & quiuis dicit. Libri tamen haud valde mutant, nisi quod: manetque. & paullo post: Sic ne in beneficiorum. Mihi sedet legere: rursus incipere. Nam & quò (valet, quomodo) in amicitiam non recipere indignum; sic nec in beneficio-

rum quidem. Vide, & inquire: Seneca mens ea est, & verba. Adherent & adspiciunt superiorem illam clausulam: Et quidem diligentius quær. e. b. q. pec. creditor. cui cetera, quasi parenthesi, subiiciuntur vel inferantur: tum hæc αἰτιολογία: quare diligentius? Nam & quomodo. &c.

⁸¹ INVITO.] Contra vulgatam, imò & Iuris regulam, Inuito beneficium non datur. Lactantius: Non est beneficium, quod ingeritur reluctanti. Imò & beneficiorum hæc est summa, (Plinius Panegyrico) si illis & non uti licet. Atqui hic exceptio: sed ita, ut Beneficia ea esse non dicas, sed Imperia.

⁸² VIM MAIOREM.] Οἰοῦ ἑῶν, sine Diuinam vim interpretantur Plinius, & Iurisconsulti, nempe illam celestem: adde & regiam, quæ accedit.

CAP. XIX. ⁸³ TUBER.] Hoc de Pheræo Iasone Cicero ita extulit III. de Nat. Deor. sententiâ planè, quâ Seneca: Nec prodesse Pheræo Iasoni voluit is, qui gladio vomica eius aperuit, quam sanare medici non poterant. Multi enim etiam cum obesse vellent, profuerunt; & cum prodesse, obfuerunt. Cum Cicerone, Valerius I. cap. VIII. At Plutarchus, De utilitate ex inimicis cap. Promotheo Thessalo tribuit, in his verbis: Ὡς περὶ δὲ τὸν Θεάσαλον Περγυνθεῖα κτεῖναι διανοηθεὶς, ἐπαίσει τὰ ἑξῆς τοῦ φῶμα, καὶ διείλεν οὕτως ὥς ἐσωθῆναι τὸν ἄνθρωπον οὕτω πολλάκις ὑπ' ἐχθρῶν προσπεσῶσα λοιδορία, καὶ δὴ ψυχῆς ἀγνοούμενον ἐθεράπευσεν. ut enim is, qui Thesalum Promothea interficere moliens, gladio percussit vomica eius, & sic aperuit ut homo sanaretur: ita sæpè contumelia ab inimico, malum animi latens curat.

corum manus reformidauerant, nocendo sanauit. Vides non esse magnum in ipsâ re A momentum? quoniam non videtur dedisse beneficium, qui malo animo profuit. Casus enim beneficium est, hominis iniuria. ⁸⁴ Leonem in amphitheatro spectauimus, qui vnum è bestiariis agnitum, cum quondam eius fuisset magister, protexit ab impetu bestiarum. Num ergo est beneficium, feræ auxilium? minimè: quia nec voluit facere, nec benefaciendi animo fecit. Quo loco feram posui, tyrannum pone. Et hic vitam dedit, & illa: nec hic, nec illa beneficium. quia non est beneficium, accipere cogi. non est beneficium, debere, cui nolis. Antè des oportet mihi arbitrium mei, deinde beneficium.

XX. Disputari de M. Bruto solet, an debuerit accipere à D. Iulio vitam, cum occidendum eum iudicaret. Quam rationem in occidendo secutus sit, aliàs tractabimus. Mihi enim, cum vir magnus fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer errasse, nec ex institutione Stoicâ ⁸⁵ se gessisse: qui aut regis nomen extimuit, cum optimus ciuitatis status sub rege iusto sit; aut ibi sperauit libertatem futuram, vbi tam magnum præmium erat & imperandi, & ⁸⁶ seruiendi; aut existimauit ciuitatem in priorem formam posse reuocari, B amissis pristinis ⁸⁷ moribus; futuramque ibi æqualitatem ciuilis iuris, & staturas suo loco leges, vbi viderat tot millia hominum pugnancia, non an seruirent, ⁸⁸ sed vtri. Quanta verò illum aut rerum naturæ, aut vrbs suæ tenuit obliuio, qui vno interempto, defuturum credidit alium, qui idem vellet: cum Tarquinius esset inuentus, post ⁸⁹ tot reges ferro ac fulminibus occisos? Sed vitam accipere debuit: ob hoc tamen non habere illum parentis loco, qui in ius dandi beneficii iniuriâ venerat. Non enim seruauit is, qui

XXI. non interfecit; nec beneficium dedit, sed ⁹⁰ missionem. Illud magis venire in disputationem potest aliquam, quid faciendum sit captiuo, cui redemptionis pretium homo prostituti corporis & ⁹¹ infamis ore promittit? Patiar me ab impuro seruari? seruatus deinde, quam illi gratiam referam? Viuam cum obsceno? non viuam cum redemptore? Quid ergo placeat, dicam. Etiam ab aliquo tali accipiam pecuniam, quam pro capite dependam: accipiam autem tamquam creditum, non tamquam beneficium. Soluam illi pecuniam: & si occasio fuerit seruandi, periclitantem seruabo: in C amicitiam, quæ similes iungit, non descendam. nec seruatoris illum loco numerabo, sed feneratoris: cui sciam reddendum quod accepi. Est aliquis dignus, à quo beneficium accipiam: sed danti nociturum est. idè non accipiam, quia ille paratus est mihi cum incommodo, aut etiam periculo suo prodesse. Defensurus est me reum: sed illo patrocinio, regem sibi est facturus inimicum. Inimicus sim, si cum ille pro me periclitari velit, ego, quod facilius est, non facio, vt sine illo periclitem. Ineptum & friuolum hoc Hecaton ponit exemplum Arcefilai, quem ait à filio familias oblatam pecuniam non accepisse, ne ille patrem sordidum offenderet. Quid fecit laude dignum? quòd furtum non recepit? quòd maluit non accipere, quàm reddere? quæ est enim alienam rem non accipere moderatio? Si exemplo magni animi opus est, vtamur ⁹² Græcini Iulij viri egregij,

84. LEONEM.] Potuit idem ille esse, imò meo animo fuit, quem Appion Plistonices vidisse apud Agellium narrat, in seruo Androclo, lib. v. cap. xiv. Nam etas conuenit, & Appion ille sub Tiberio.

CAP. XX. 85. SE GESSISSE.] At libri scripti editiq; antea, se egisse. & cur ineptum voluit? dederim ex mediâ illâ etate scriptorum vicera exempla.

86. SERVIENDI.] Administros vel fautores tyrannidis refer, qui euehebantur.

87. MORIBVS.] Hoc rectè. libertas & aequitas habitare agrè poterant inter ambitum, auaritiâ, luxum, & causam horum omnium, opes.

88. SED VTRI.] Hæc vera lectio, nec Muretus ingerat suum, cui. Vnus è scriptis meis, & Gruteri item, habet: sed & diu notarat Agricola Rodolfus. Pompeium & Iulium notat: quorum vterque, alio præ-

texto, de imperio certabat. Cicero non semel ad Atticum: & Seneca epist. xiv. Quid tibi vis M. Cato? iam non agitur de libertate. olim pessumdata est. Quæritur vtrum Cæsar, an Pompeius possideat Rempublicam. Lucanus ipso verbo Senecæ: — quærunt, vter imperet orbi.

89. TOT REGES.] Tres ferro, vnus fulmine, perierunt.

90. MISSIONEM.] Are gladiatoria. Mittitur, qui liberatur. Pugna sine missione: cum necessum est cedere aut cedi. Ego ii. Saturn.

CAP. XXI. 91. INFAMIS ORE.] Meus, infamis repromittit. Nec abnuo exempla tamen subiungi, de infamiâ oris: itaque teneatur, etsi illud communiter dictum, magis ad thesim facit.

92. GRÆCINI IULII.] De quo in Taciti Agricola scripsi, atque ibi laudatur: alibi etiam à nostro Senecâ, vt epist. xxix.

A gij, quem C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior vir erat, quam esse quemquam tyranno expediret. Is cum ab amicis conferentibus ad impensam⁹³ ludorum pecunias acciperet, magnam⁹⁴ pecuniam à Fabio⁹⁵ Persico missam non accepit. Et obiurgantibus his, qui non aestimabant mittentem, sed missa, quod repudiasset: Ego, inquit, ab eo beneficium accipiam, à quo⁹⁶ propinationem accepturus non sim? Cumque illi⁹⁷ Rebilus consularis, homo eiusdem infamiae, maiorem summam misisset, instaretque, ut accipi iuberet: Rogo, inquit, ignoscas: nam & à⁹⁸ Persico non accepi. Vtrum hoc munera accipere est, an⁹⁹ senatum legere? Cum accipiendum iudicauerimus, hilares accipiamus, XXII. profitentes gaudium: & id danti manifestum sit, ut fructum praesentem capiat. Iusta enim causa laetitia est, latum amicum videre: iustior, fecisse. Grate ad nos peruenisse indicemus, effusis affectibus: quod non ipso tantum audiente, sed ubique testemur. Qui grate beneficium accepit, primam eius¹⁰⁰ pensionem soluit. Sunt quidam, XXIII. qui nolunt nisi secreto accipere: testem beneficii & conscium vitant: quos scias licet B malè cogitare. Quomodo danti in tantum producenda notitia est muneris sui, in quantum delectatura est eum, cui datur; ita accipienti adhibenda¹⁰¹ concio est. Quod pudet debere, ne acceperis. Quidam furtivè agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. Non est ista verecundia, sed infitiandi genus. Ingratus est, qui, remotis arbitris, agit gratias. Quidam¹⁰² nolunt nomina secum fieri, nec interponi¹⁰³ pararios, nec signatores advocari, nec chirographum dare: idem faciunt, qui dant operam, ut beneficium in ipsos collatum, quam ignotissimum sit. Verentur palam ferre, ut suam potius virtute, quam alieno adiutorio consecuti dicantur. Rariores in eorum¹⁰⁴ officiis sunt, quibus vitam, aut dignitatem debent: & dum opinionem clientium timent, graviorem subeunt ingratorum. Alij pessimè loquuntur de optinè meritis. Tutius est quosdam offendere, quam demeruisse. argumentum nihil debentium, ¹⁰⁵ odio quaerunt. Atqui nihil magis praestandum est, quam ut memoria nobis meritorum hareat, quae subinde reficienda est: quia nec referre potest gratiam, nisi qui meminit; & qui meminit, iam refert. C Nec delicate accipiendum est, nec submissè & humiliter. Nam qui negligens est in accipiendo, cum omne beneficium recens placeat, quid faciet, cum prima eius voluptas refrixerit? Alius accepit fastidiosè, tamquam qui dicat: *Non quidem mihi opus est: sed quia tam valde vis, faciam tibi mei potestatem.* Alius supinè, ut dubium praestanti relinquat, an senserit: alius vix labra diduxit, & ingrator, quam si tacuisset, fuit. Loquendum pro magni-

93. LUDORVM.] Vetus ita mos. quia largiter effundendum in voluptates illas populi, passim amici, imò & provinciae, conferebant.

94. PECUNIAM.] Potest abesse.

95. PERSICO.] Paullus Fabius Persicus, Consul fuit sub Tiberio, anno DCCLXXXVI. Quare Persicus? à rege Persè, opinor, memoriâ victoriae eius ab Aemilio Paulo parit: è qua gente hic fuit, etsi maiores adoptione translati in Fabiam. Clarus igitur, sed D sordidus! Adi & nostrum lib. IV. infra, cap. XXX.

96. PROPINATIONEM.] Vox abest à meis: at haec, aut similis fuit. Nam sententia perbella est, & è qua Martiali iocus:

Quod nulli calicem tuum propinas,
Humanè facis Hermè, non superbè.

97. REBILVS.] Fuit unus sub Iulio Caesare Consul, etiam alius sub Augusto, sed in magistratu mortuus. Hic tertius, quando & quis, nescio. Et per me sanè pereat homo Oscus, aut lateat.

98. PERSICO.] Tangit Rebilum. significans, nec ab illo pari tuo in infamiâ, sed nobiliori stirpe, accipi: minùs à te.

99. SENATVM.] Haec germana habeo, contra Pinicianum. quidni fide librorum, & decore sententiae?

Non hoc est, inquit, munera capere: sed dantes examinare, quasi si Senatum legas. in quem scilicet non nisi probos purosque admittas.

CAP. XXII. 100. PENSIONEM.] Solutionem, certis temporibus diuisam & dispensatam.

CAP. XXIII. 101. CONCIO.] Populus & turba, ut omnes sciant. Noster I. De Clem. O vocem in concionem omnium mortalium mittendam; Malè, qui cautio sufficiunt.

102. NOLUNT.] Ego vellem, cum quibusdam libris, volunt: sententiâ istâ. Sicut quidam volunt pecuniam mutuam capere, & debere: nec tamen sollemnibus obligationum & cautionum adhibere: ita isti beneficiarii, qui accipere, nec sciri.

103. PARARIOS.] Conciliatores, proxenetas. Vide infra, lib. III. cap. XV.

104. OFFICIIS.] Salutatione, deductione, & istis: quae praestabant obnoxij, aut clientes.

CAP. XXIV. 105. ODIUM.] Quod sit praesertim in magnis beneficiis, & quae grauat capientem. Tacitus IV. Annal. Beneficia usque eò læta sunt, donec exfolui posse videntur: ubi multum antequenere, pro gratiâ odium redditur. De iisdem Curtius:

- magnitudine rei impenitus, & illa adiicienda: *Plures quàm putas, obligasti.* Nemo enim A non gaudet beneficium suum latius patere. *Nescis quid mihi præsiteris: sed scire te oportet, quanto plus sit quàm aestimas.* Statim gratus est, qui se onerat. *Numquam tibi gratiam referre potero: illud certè non desinam ubique confiteri, me referre non posse.* Nullo magis Cæsarem Augustum demeruit, & ad alia impetranda facilem sibi reddidit ¹⁰⁶ Furnius, quàm quòd, cum Patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset, dixit: *Hanc unam Cæsar habeo* ¹⁰⁷ *iniuriam tuam. effecisti ut viverem, & morerer ingratus.* Quid est tam grati animi, quàm nullo modo sibi satisfacere? quàm nec ad spem quidem exæquandi unquam beneficij accedere? His atque eiusmodi vocibus id agamus, ut voluntas non lateat, sed aperiatur, ut luceat. Verba cessent licet. si quemadmodum debemus affecti sumus, conscientia eminebit in vultu. Qui gratus futurus est, statim dum accepit, de reddendo cogitat. Chrysippus quidem dicit, illum velut in certamen cursus compositum, & ¹⁰⁸ carceribus inclusum, opperiri debere suum tempus, ad quod velut dato ¹⁰⁹ signo profiliat. Et quidem magnâ illi celeritate opus est, magnâ contentione, ut consequatur ¹¹⁰ antecedentem. Videndum est nunc, quid maximè faciat ingratos. Aut nimius sui ¹¹¹ suspectus, & insitum mortalitati vitium, se suaque mirandi: aut auiditas, aut invidia. Incipiamus à primo. Nemo non benignus est sui iudex, inde est, ut omnia meruisse se existimet, & ¹¹² in solutum accipiat: nec satis suo pretio se aestimatum ¹¹³ putet. *Hoc mihi dedit: sed quàm serò, sed post quot labores? quanto consequi plura potuissem, si illum, aut illum, aut me colere maluissem? non hoc speraueram. In turbam coniectus sum.* ¹¹⁴ *tam exiguo dignum me iudicavit. honestius* ¹¹⁵ *præteriri fuit.* Cn. Lentulus ¹¹⁶ augur, diuitiarum maximum exemplum, antequam illum ¹¹⁷ libertini pauperem facerent (hic ¹¹⁸ quater millies sestertium suum vidit. propriè dixi: nihil enim amplius quàm vidit) ingenij fuit ¹¹⁹ tam sterilis, quàm pusilli. Cum enim esset auarissimus, nummos citius emittebat, quàm verba: tanta illi inopia erat sermonis. Hic cum omnia incrementa sua D. Augusto deberet, ad quem attulerat paupertatem, ¹²⁰ sub honore nobilitatis laborantem; princeps iam ciuitatis, & pecuniâ, & ¹²¹ gratiâ, subinde Augusto fo- C lebat queri, dicens, *A studiis se abductum. Nihil tantum in se congestum esse, quantum perdidisset,*

iis: Quædam imò beneficia odimus: & vitam, & hæc summa, nemo libens alteri debet.

CAP. XXV. 106. FURNIVS.] Caius prænomen, qui Consul fuit anno DCCXXXVI. At pater eius, item Caius, inter Consulares relatus ab Augusto, quia designatus non inierat, anno DCCXXIII.

107. INIURIAM.] Callidissimè dictum. In summo beneficio, iniuria tua mixta est: quia ingratum me fecisti, nec sum soluendo.

108. CARCERIBVS.] A Circo sumptum.

109. SIGNO.] Mappâ, nam eâ missâ à Prætoribus aut Consule, & carceribus effundebantur.

110. ANTECEDENTEM.] Benefactorem, qui tempore præiit: & manet in imagine de Cursu, nam difficile consequi, diu præeuntem.

CAP. XXVI. 111. SUSPECTVS.] Probè, at libri tamen ferè suspectum. Ferri posset, ut Prætextus, & Prætextum.

112. IN SOLVTVM.] Id est, quasi non datum, sed debitum. non fiat cum eo nomen, sed expungatur.

113. PUTET.] Subdunt mei libri, Nec dicat, Hoc m. d. Omnino rectè & germanè, si distinguas: Nec dicat, Hoc mihi dedit, sed, Quàm serò, sed, Post quot labores? Verba nempe exprimit horum calumniantium: qui non benignè sibi dicunt, Hoc dedit: sed illa alia, Quàm serò?

114. TAM EXIGVO.] Libri, tamquam. Vellem, tamne, interrogando.

115. PRÆTERIRI.] In numero capientium non fuisse. Ad spectum ad Senatores qui Præteriti dicuntur, cum non lecti. Sed & in repulsâ ab honoribus, hoc verbum.

CAP. XXVII. 116. AVGV.] De viro isto dixi ad IV. Annal. Taciti. Opes ei exitio fuere. quod ita Suetonius, Tib. cap. XLIX. Cn. Lentulum Augurem. cui census maximus fuit, angore & metu ad fastidium vitæ egit, & ut nequo, nisi ipso, herede moreretur.

117. LIBERTINI PAUP.] Ergo illi (notabis) plus etiam possederunt: præsertim sub Claudio, quem obiter tangit, libertis suis addicto. D

118. QUATER MILLIES.] Sunt ipsa centies centena millia, siue decem milliones Philippicorum: nostrâ æstimatione.

119. TAM STERILIS.] Pinciani & mei libri: Ingenij fuit sterilis, tam pusilli quàm animi. Ego teneam, sed copulam libens inseram: & tam pusilli. Ingenio, & animo iuxta pusillus, ut mox ostendit: nec est, cur hæc vexentur, aut vexent.

120. SUB HONORE.] Alij libri, onere. quod sunt qui arripiant: ego non muto. & verè laborat magis paupertas sub honore & luce nobilitatis: quia condignè se eâ & maioribus non potest gerere.

121. GRATIA.] Mirum, in homine tam parui ingenij, animi, oris. Sed gratia hæc à nummis, quibus ditem — decorat Suadela Venusque.

122. COL-

A *disset, relicta eloquentia.* At illi inter alia hoc quoque diuus Augustus praestiterat, quod illum derisu ac labore irrita liberauerat. Non patitur auiditas quemquam esse gratum. numquam enim improbae spei, quod datur, satis est. Eo maiora cupinus, quod maiora venerunt: multoque concitior est auaritia, in magnarum opum congestu ¹²² collocata. ut flammæ infinito acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit. Aequè ambitio non patitur quemquam in eâ mensurâ honorum conquiescere, quæ quondam eius fuit ¹²³ impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias: sed queritur, quod non est ad praeturam usque perductus. nec hæc grata est, si deest consulatus. ne hic quidem ¹²⁴ satiat, si vnus est. Ultra se cupiditas porrigit, & felicitatem suam non intelligit: quia non ¹²⁵ unde venerit, respicit, sed quod tendat. Omnibus his vehementius & importunius malum est inuidia, quæ nos inquietat, dum comparat. Hoc mihi praestitit: sed ^{xxviii} illi plus, sed illi maturius: & deinde nullius causam agit, contra omnes ¹²⁶ sibi fauet. Quanto est simplicius, quanto prudentius, beneficium acceptum augere: scire neminem tanti ab alio, quanti à seipso aestimari? Plus accipere debuissim. sed illi facile non fuit plus dare. in multos diuidenda liberalitas erat. Hoc initium est. boni consulamus, & animum eius, gratè excipiendo, euocemus. Parum fecit; sed sapius faciet. illum mihi prætulit; & me multis. ille non est mihi par virtutibus, nec officiis; sed habuit suam ¹²⁷ Venerem. Querendo non efficiam, ut maioribus dignus sim, sed ut datis indignus. Plura illis hominibus turpissimis data sunt. quid ad rem? quàm rarò fortuna iudicat? Quotidie querimur, malos esse felices. sæpè quæ agellos pessimi cuiusque transferat, optimorum virorum segetem grandio percussit. Fert sortem suam quisque, ut in ceteris rebus, ita in amicitiiis. Nullum est tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas possit: nullum tam angustum, quod non bonus interpretes extendat. Numquam deerunt causæ querendi, si beneficia à ¹²⁸ deteriore parte spectaueris. Vide quàm ^{xxix} iniqui sint diuinorum munerum aestimatores, etiam quidam ¹²⁹ professi sapientiam. Queruntur, quod non magnitudine corporum æquemus elephantes, velocitate ceruos, leuitate aues, impetu tauros: quod solidior sit cutis beluis, decentior damis, densior vris, mollior fibris: quod sagacitate nos narium canes vincant, quod acie luminum aquilæ, spatio ætatis corui, multa animalia ¹³⁰ nandi facilitate. Et cum quædam ne coire quidem in idem natura patiatur, ut velocitatem corporum & vires pares animalibus: ex diuersis ac dissidentibus bonis hominem non esse compositum, iniuriam vocant: & in negli-

122. COLLOCATA.] *Adest à meis, & potest.*

123. IMPUDENS VOT.] *Quo peruenire, cum paruis obscurusq; esset, nec sine impudentiâ vouisset. At nunc affecutus, iterum altiora atq; altiora: & quid deinde casum. Simillimus locus de Irâ III. cap. xxxi.*

124. SATIAT.] *A Pinciani coniecturâ probâ. nam libri, faciat.*

125. VNDE VENERIT.] *Idem alibi noster: Habet hoc vitium omnis ambitio, non respicit. Manilius: Nec quod habet, numerat; tantum quod non habet, optat. Sed pulcherrimè Teles ille Pythagoricus: Ecce, inquit, seruus liber fieri cupit. Libertatem enim nactus, ait, omnia habebō. Iam est: desiderat ipse seruū. Habet: cur non alium? vna hirundo non facit ver. Ergo duos parat, & iam etiam agrum. Quid deinde? Atheniensis vult fieri: tum magistratum appetit, tum & regnum. Postremò immortalis vult fieri, ut Alexander: & esto; iam & Iupiter optet esse. Vides catenam Ambitionis, & ea plerosque ligat.*

CAP. XXVIII. 126. SIBI FAVET.] *Non diiudicat merita, sed se præferendam censet.*

127. VENEREM.] *Suam gratiam, suum illicium. Plinius de Apelle, lib. xxv. cap. x. Cum eadem ætate essent maximi pictores; col-*

laudatis omnibus, deesse iis vnam illam Venerem dicebat, quam Græci Charita vocant. Cui autem illa fauet & adest, ij felices & impetrabiles. unde Sulla, qui Latinis cognomen Felicis habet, Græcis ἐὐαχρηστὸς inscriptus, Venustus.

128. DETERIORE.] *Quâ deficiunt, aut vincuntur, non eâ quâ vincunt.*

CAP. XXIX. 129. PROFESSI SAP.] *Credo Epicuræos maximè notari, apud quos eiusmodi querelæ. Plinium vide lib. vii. initio, Lucretium lib. v. Sed & in Plutarchi, de Fortunâ, hæc comparatio: tamen hominum etiam prælatio, à consilio & ratione. Aristoteles damnat & reiicit istos, qui hominem ceteris animantibus postponunt, lib. i v. De Partib. animal. cap. x. sed pulchrè & diffusè Xenophon lib. i v. de Factis & Dictis Socrat. item Cicero i i. de Naturâ Deorum.*

130. NANDI FACIL.] *Libri scripti, felicitate. Itaque ariolabar olim, diuinandi felicitate, quia naturâ duce multa præsagiunt, tempestates, hiemes, ruinas, alia. Sequitur etiam mox de futuri scientiâ. Tamen ariolabar fortasse, & tutius meliusq; non abire à vulgatâ. Plinius enim in illâ querelâ: Alia perniciatē usurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare.*

negligentes nostri deos querimoniam iaciunt, quod non bona valetudo & ¹³¹ vitiis in- A
expugnabilis data sit, quod non futuri scientia. Vix sibi temperant, quin consueque im-
pudentiae prouehantur, ut naturam oderint, quod infra deos sumus, quod non in æquo
illis steterimus. Quanto satius est ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum
reuertere, & agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt ¹³² secundas
fortiri, quod terrenis præfecerunt? Aliquis ea animalia comparat nobis, quorum pote-
stas penes nos est? Quidquid nobis negatum est, dari non potuit. Proinde quisquis es
iniquus æstimator sortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit parens noster, quanto
valentiora animalia sub iugum miserimus, quanto velociora consequamur: quam nihil
sit mortale, non ¹³³ sub ictu nostro positum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum
denique, cui nihil non eodem quo intendit momento peruium est, ¹³⁴ sideribus velocio-
rem, quorum post multa sæcula futuros cursus antecedit. tantum denique frugum, tan-
tum opum, tantum rerum aliarum super alias aceruatarum. Circumeas licet cuncta: &
quia nihil totum inuenies, quod esse te mallet, ex omnibus singula excerpas, quæ tibi da- B
ri ¹³⁵ velles. Ita benè æstimatâ naturæ indulgentiâ, ¹³⁶ confitearis necesse est, in deliciis
te illi fuisse. Ita est: carissimos nos habuerunt dii immortales, habentque. & qui maxi-
mus tribui honos potuit, ab ipsis proximos collocauerunt. Magna accepimus, maiora
xxx. non ¹³⁷ cepimus. Hæc, mi Liberalis, necessaria credidi, ut dicerem, & quia loquen-
dum aliquid de magnis beneficiis erat, cum de minutis loqueremur, & quia inde manat
etiam in cetera, huius detestabilis vitij audacia. Cui enim respondebit gratè, quod mu-
nus existimabit magnum, aut reddendum, qui summa beneficia spernit? Cui salutem,
cui spiritum debebit, qui vitam accepisse se à diis ¹³⁸ negat, quam quotidie ab illis petit?
Quicumque ergo gratos esse docet, & hominum causam agit, & deorum: quibus nul-
lius rei indigentibus, positis extra desiderium, referre nihilominus gratiam possumus.
Non est, quod quisquam excusationem mentis ingratae ab infirmitate atque inopiâ pe-
tat, & dicat: *Quid enim faciam, & quomodo? quando superioribus, dominisque rerum omnium*
gratiam referam? Referre facile est, si avarus es, sine ¹³⁹ impendio: si iners, sine ¹⁴⁰ operâ. C
Eodem quidem momento, quo obligatus es, si vis, cum quolibet ¹⁴¹ paria fecisti: quo-
xxx. niam qui libenter beneficium accepit, reddidit. Hoc ex paradoxo Stoicæ sectæ mi-
nimè mirabile, ut mea fert opinio, aut incredibile est, eum qui libenter accepit benefi-
cium, reddidisse. Nam cum omnia ad animum referamus, fecit quisque quantum vo-
luit. & cum pietas, fides, iustitia, omnis denique virtus intra se perfecta sit; etiam si illi
¹⁴² manum exerere non licuit, gratus quoque potest esse homo voluntate. Quotiens
quod proposuit quisque consequitur, capit operis sui fructum. Qui beneficium dat,
quid proponit? prodesse ei cui dat, & voluptati sibi esse. Si quod voluit, effecit, perue-
nitque ad me animus eius, ac mutuo gaudio affecit; tulit quod petiit. Non enim sibi
inuicem aliquid reddi voluit: aut non fuit beneficium, sed negotiatio. Benè nauigauit,

131. VITIIS.] Pincianus ita correxit, cum es-
set virtus. quod ego cum libris teneam, & ad corporis
virtutem sine robur transferam, quod eâ non sumus
indomitâ & inuictâ. Alterum tamen etiam acutum,
querentium, quod non valetudo inter vitia, libidinem
& intemperantiam, sit firma.

132. SECUNDAS.] Ex libris magis esset, secun-
da. Sed illud communius, Primas secundasque sor-
tiri, agere: & intelligimus partes.

133. SUB ICTU.] Valet subiectum nobis & obno-
xium: quod tangere, quod ferire possumus. Contra est,
quod VII. De Benefic. Deum extra ictum sua diui-
nitas posuit.

134. SIDERIBUS VEL.] Cogitatione, quâ nil
celerius. Itaque pulchrè Homerus, Odys. H. Τὼν νέε-
ων ναῖται, ὧσ' ἐλπίσιν, ἢ ἐνὶ νῆυσιν: Quorum naues cele-
res, sicut ala auium, vel cogitatio.

135. VELLES.] Vellem ego interrogatione totum

hoc efferri: & mens ea Seneca. Itane, inquit, quia
vnum aliquod totum esse nolis, ius tibi censeas singu- D
la optima excerpenti?

136. CONFITEARIS.] Mei codices voculam an-
teponunt, ut confit. Fuerit, tute confit.

137. CEPIMVS.] Angusti oris corporisque
vascula.

CAP. XXX. 138. NEGAT.] Epicuri affecla.
qui Deos à curâ nostri remouet, casui & atomis om-
nia permittit.

139. IMPENDIO.] Ut nihil dones.

140. OPERA.] Ut nihil facias.

141. PARIÂ FECISTI.] Crebrum in Senecâ, Pli-
niis, Iurisconsultis. valet, rationibus redditis, reli-
qua nulla esse: quod & Pariare dicunt.

CAP. XXXI. 142. MANVM EXER.] Actio-
nes suas fungi, operari.

143. MIT-

A gavit, qui quem destinavit portum, tenuit: teli iactus certæ manus peregit officium, si petita percussit: beneficium qui dat, vult excipi gratè. habet quod voluit, si benè acceptum est. Sed speravit emolumentum aliquod. non fuit hoc beneficium, cuius proprium est, nihil de reditu cogitare. Quod accipiebam, si eo animo accepi quo dabatur, reddidi. Alioquin pessima optimæ rei condicio est: vt gratus sim, ad fortunam ¹⁴³ mitor. Si illâ inuitâ respondere non possum, sufficit animus animo. Quid ergo? non quidquid potero, & faciam, & reddam? temporum rerumque occasionem sequar, & eius implere sinum cupiam, à quo aliquid accepi? sed malo loco beneficium est, nisi & ¹⁴⁴ excussis manibus esse grato licet. Qui accepit, inquit, beneficium, licet animo benignissimo acceperit, non consummavit officium suum. restat enim pars reddendi. Sicut in lusu est aliquid, ¹⁴⁵ pilam scitè ac diligenter excipere; sed non dicitur bonus lusor, nisi qui aptè & expedite remisit, quam exceperat. Exemplum hoc dissimile est. quare? quia huius rei laus in corporis motu est, & in agilitate, non in animo.

B explicari itaque totum debet, de quo oculis iudicatur. Nec tamen ideò non bonum lusorem dicam, qui pilam, vt oportebat, exceperit, si per ipsum mora, quò minùs remitteret, non fuit. Sed quamuis, inquit, arti ludentis nihil desit, quia partem quidem fecit, sed & partem quam non fecit, potest facere: ludus tamen ipse imperfectus est: qui consummatur vicibus mittendi ac remittendi. Nolo diutius hoc retellere. existimemus ita esse: desit aliquid lusu, non lusori. sic & in hoc de quo disputamus, deest aliquid rei datæ, cui ¹⁴⁶ par alia debetur, non ¹⁴⁷ animo. Qui animum parem sibi nactus est, quantum in illo est, quod voluit, effecit. Beneficium mihi dedit. accepi non aliter, ¹⁴⁸ quam ipse accipi voluit. Iam habet, quod petit: & quod vnum petit, ego gratus sum. Post hæc vsus mei restat, & aliquid ex homine grato commodum. hæc non imperfecti officij reliqua pars est; sed perfecti ¹⁴⁹ accessio. Facit Phidias statuam: alius est fructus artis, alius artificij. artis est, fecisse quod voluit: artificij, fecisse cum fructu. Perfecit opus suum Phidias, etiam si non vendidit. Triplex est illi fructus operis sui. vnus conscientia: hunc absoluto opere percepit. alter famæ, tertius vtilitatis: quem allatura est, aut gratia, aut venditio, aut aliqua commoditas. Sic beneficij fructus primus ille est, conscientia. Hunc percepit, qui quò voluit, munus suum pertulit. Secundus est famæ. tertius eorum, quæ præstari inuicem possunt. Itaque cum benignè acceptum est beneficium, is qui dedit, gratiam quidem iam recepit, mercedem nondum. Debeo itaque quod extra beneficium est, ipsum quidem benè accipiendo persolui. Quid ¹⁴⁹ ergo? inquit, retulit gratiam, qui nihil fecit? ¹⁵⁰ Plurimum fecit, bono animo bonum ¹⁵¹ retulit: & quod est amicitia, ex æquo. ¹⁵² Post deinde aliter beneficium, aliter creditum soluitur. Non est quòd expectes, vt solutionem tibi ostendam. res inter animos geritur. Quod dico, non videbitur durum, quamuis primò contra opinionem pugnet tuam,

143. MITTOR.] Optimè, nec audio qui, nitor. Miti ad Fortunam dicit gratum futurum, quia ab Deâ opes & externa petenda, quæ refundat. Atqui ea non in nostrâ potestate: ab illâ pendet: nulla autem virtus ab illâ: ergo nec gratitudo.

144. EXCVSSIS.] Vacuis. non apertis solum, sed motis & excussis. Clausæ autem eadem aliquid continent, & ferunt.

CAP. XXXII. 145. PILAM SCITE.] Meus opt. pilam iacere ac dil.

146. PAR ALIA.] Res similis, vt exæquet in beneficio. Non video, cur offendat Criticos.

147. ANIMO. QVI.] Mihi potior distinctio hæc: non animo, qui animum parem sibi nactus est. Quantum in illo est &c. Ita enim arguitur (vero verbo vtor, & poterant hæc à materiâ abesse:) Rei aliquid deest, cui alia non relata; animo nihil deest, cui animum iam reposui. Atqui ab

eo beneficium, & in eo gratitudo.

CAP. XXXIII. 148. ACCESSIO.] In eo tota iniectione huius solutio. Beneficium & gratia, in solo animo: si quid rei accessit, accessit tantum. Et tamen debet, si potest: at istud accessorium, non gratia propriè, sed merces est.

CAP. XXXIV. 149. PLVRIMVM.] Ne abeamus à libris, qui Primum: & distinctione inuenimus. Primum, fecit. bono animo bonum retulit. Duplex est responsio. Nilne fecit? imò fecit. quid? animum animo rependit. Deinde, alia solutio in beneficio, quam credito: & quæ subdit.

150. RETVLIT.] Libri omnes, obtulit. & rectè, quasi ipsum animum pretium ei obtulit & porrexit.

151. POST DEINDE.] Mihi hæc sana. & Comicum est, Postinde, Postdeinde: eadem cum simplicibus.

152. COM-

tuam, si te ¹⁵² commodaueris mihi, & cogitaueris res esse plures, quàm verba. Ingens A
copia est rerum sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed alienis
commodatisque. Pedem & nostrum dicimus, & lecti, & ¹⁵³ veli, & carminis: canem,
& venaticum, & marinum, & fidus. Quia non sufficimus, vt singulis singula assigne-
mus: quotiens opus est, mutuamur. Fortitudo est virtus, pericula iusta contemnens:
aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, prouocandorum. Dicimus
tamen & gladiatorem fortem virum, & feruum nequam, quem in contemptum mortis
temeritas impulit. Parsimonia est scientia vitandi sumptus superuacuos: aut ars re fa-
miliari moderatè vtendi: ¹⁵⁴ parcissimum tamen hominem vocamus pusilli animi &
contracti: cum infinitum interfit, inter modum & angustias. Hæc alia sunt naturâ: sed
effecit inopia sermonis, vt & hunc & illum paruum vocemus, vt & ille fortis dicatur cum
ratione fortuita despiciens, & hic sine ratione in pericula excurrans. Sic beneficium, est
& actio, vt diximus benefica, & ipsum quod datur per illam actionem: vt pecunia,
domus, prætexta. Vnum vtrique nomen est: vis quidem ac potestas longè alia. B

xxxv. Itaque attende. iam intelliges, nihil me, quod opinio tua refugiat, dicere. Illi bene-
ficio quod actio perficit, relata gratia est, si illud beneuolè excipimus: illud alterum
quod re continetur, nondum reddidimus, & volumus reddere. Voluntati voluntate
satisfecimus, rei rem debemus. Itaque quamuis retulisse illum gratiam dicamus, qui
beneficium libenter accepit; iubemus tamen aliquid simile ei quod accepit, reddere.
A consuetudine quædam quæ dicimus, abhorrent: deinde aliâ viâ ¹⁵⁵ ad consuetudi-
nem redeunt. Negamus ¹⁵⁶ iniuriam accipere sapientem: & tamen qui illum pugno
perculserit, iniuriarum damnabitur. Negamus rem ¹⁵⁷ stulti esse: & tamen eum qui
rem aliquam stulto surripuerit, furti condemnabimus. Insanire omnes ¹⁵⁸ stultos di-
cimus: nec tamen omnes curamus elleboro. his ipsis quos vocamus insanos, & ¹⁵⁹ suf-
fragium & ¹⁶⁰ iurisdictionem committimus. Sic dicimus eum qui beneficium bono
animo accepit, gratiam retulisse: nihilominus illum in arc alieno relinquimus, gra-
tiam relaturum, etiam cum reddiderit. Exhortatio est illa, non infitiatio beneficij. Ne C
timeamus, nè intolerabili sarcinâ depressi deficiamus animo. Bona mihi donata
sunt, & fama defensa, ¹⁶¹ detractæ sordes, spiritus, ¹⁶² & libertas potior spiritu; &
quomodo referre gratiam potero? quando ille veniet dies, quo illi animum meum
osten-

152. COMMODAVERIS.] *Commodum volen-
tem, prabueris.*

153. VELI.] *Pars utraque inferior veli, ubi fu-
nibus distenditur, Pes dicitur: & quidem pro lateri-
bus, Dexter aut Sinister. Lucanus v.*

— & flexo nauita cornu

Obliquat læuo pede carbasa.

Catullus:

— siue vtrumque Iupiter

Simul secundus incidisset in pedem.

Ita & Græcis ποῦς, Centena exempla sunt.

154. PARCISSIMUM.] *Plinius lib. xxii. ca-
pite xxiv. Homines animi humilis & præparci,
quos illi (Græci) dixere micropsycho.*

CAP. XXXV. 155. AD CONSVETVD.] *De
iisdem Stoicis, De Constant. sapientis, cap. iii.
Ita sublato altè supercilio, in eadem quæ ceteri
descenditis, mutatis rerum nominibus.*

159. INIURIAM.] *Hæc libello iam dicto proprie
exsequitur.*

157. STULTI.] *Nam omnia sapientis esse, iam
definituerant Cynici, vt Diogenes Laërtius in Dioge-
ne: & tenuerunt Stoici. quod ita in Zenone idem:
Καὶ σόφων δὲ πάντα εἶναι. δὲ δὲ πᾶσι γὰρ αὐτοῖς παν-*

τελὴ ἐξουσίαν τὸν νόμον. τῶν δὲ φαύλων εἶναι τινα
λέγεται, ὃν τρόπον καὶ τῶν ἀδίκων, ἄλλως μὲν τῆς πό-
λεως, ἄλλως τῆς χρωμύων φαύλῳ: Sapientum esse
omnia. plenam enim perfectamque potestatem
à lege (primâ illâ & communi) iis datam. Malo-
rum autem & stultorum quædam dicuntur esse.
sicut & iniustorum, aliter quidem ciuitatis, ali-
ter vtentium dicimus. Vide me Manuduct. III. Differtat. xi.

158. STULTOS.] *Vocem hanc frustra suspe- D
ctam habent. Est ipsum Stoicorum scitum: πάντας
τοὺς ἀφρονες μαινέσθαι: Omnes stultos insanire:
Cicero in Paradoxis, Diogenes in Zenone, Horatius
II. Sat. III. Vide item Manud. III. Diff. x x.*

159. SVFFRAGIVM.] *In Comitibus.*

160. IVRISDICTIONEM.] *In magistratibus. Hæc
Plutarcho absone visa libello De communibus no-
tionibus, sub initium. vide.*

161. DETRACTÆ SORDES.] *In reatu. id
est, liberaui eum in iudicio & defendi. Vestem mu-
tare feci. quam sordidam sumebant rei, & capillo
atque alio cultu squallebant. Simile lib. IV. infra,
cap. XII.*

162. ET LIBERTAS.] *Defensa scilicet, verbo
non proximo, sed ulteriore repetito.*

163. RED-

A ostendam? hic ipse est, quo ille suum ostendit. Excipe beneficium, amplexare, gaude: non quòd accipias, sed quòd ¹⁶³ reddas, debiturus sis. Non adibis tam magnæ rei periculum, ut casus ingratum facere te possit. Nullas tibi proponam difficultates, ne despondeas animo, ne laborum ac longæ seruitutis expectatione deficias. non differo te: de presentibus fiat. Numquam eris gratus, nisi statim es. Quid ergo facies? non arma sumenda sunt: & fortasse erunt. non maria emetienda: fortasse etiam ventis minantibus solues. vis reddere beneficium? benignè accipe, retulisti gratiam: non ut soluisse te putes, sed ut securior debeas.

163. REDDAS DEBITURVS.] *Id est, reliquator sis. Meus liber, debiturusque: nec id animo reddas, & paria facias: in re & mercede malè.*

